



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 112. Regni Neapolitani investitura a Papa Ferdinando concessa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



jectæ, nonnisi admodum laceratæ re-  
 versæ sunt. Nihilominus summus Pon-  
 tificex, ipso malorum concursu animi sui  
 indignationem in Gallos inflammante,  
 Cardinalem Auxitanum, qui Romæ Re-  
 gis negotia procurabat, in arcem S. An-  
 geli custodiæ dari jussit; magis tamen  
 Julii odium in Ludovicum, ac Ferrarien-  
 sem augebat Regis in Ducem favor; ni-  
 hil tamen optabilius habebat Ludovicus,  
 quam ut in Pontificis gratiam rediret: id  
 quoque summis precibus efflagitabat An-  
 na de Britannia ejus conjux Regina, quæ  
 sibi probe persuasum habebat, genuinum  
 Ecclesiæ Filium haud esse posse, qui sum-  
 mum Pontificem odio insectaretur, qua-  
 propter Rex cum Papa de concordia  
 conditionibus æquis tamen ac honorifi-  
 cis agere satagebat. Veneti quoque Ju-  
 lium urgebant, ut Italiæ pacem redderet,  
 Gallisque ac Germanis reconciliaretur;  
 Papa tamen horum precibus, ac æquis  
 eorum postulatis minime deserebat, a-  
 liorum consilia suis adversa sequi haud  
 solitus.

Secul. XVI.  
A.C. 1510.

*Raynald. ad  
 hunc an. n. 18.*

§. CXII.

*Regni Neapolitani investitura a Papa  
 Ferdinando concessa.*

Equidem Rex Catholicus nil ardentius  
 desiderabat, quam Neapolis Regnum

*Marian. lib.  
 24. n. 102.*

K 5

Arra-



**Sæcul. XVI** Arragoniæ sceptro jure perpetuo afferere, qua tamen ratione voti sui successum

**A.C. 1510.**

*Raynald.*

**n. 24.**

*Jul. II. lib.*

*Bull. 80.*

**p. 335.**

obtineret, ferme consilii inops hærebat; reliquis tamen expeditius medium censebat, si implorata summi Pontificis ope, illius odium in Gallos in rem suam verteret; ast quamvis Julius iisdem infensus videretur, nihilominus primo Regis Catholici precibus cedere cunctabatur, ac nonnisi aliquo post tempore, auctaque indignatione, ac Gallici belli mole sibi propius impendente, ne ab hostibus suis opprimeretur, Sedi Apostolicæ Hispani Regis potentiam singulari beneficio demereri statuit. Ergo annuit Ferdinandi precibus, in eumque cuncta totius Neapolitani Regni jura edito diplomate transfundit, ea usus beneficentia, qua ampliorem Rex Catholicus haud desiderare potuisset; quippe cum census, quem Alexander VI. in nuperis duabus investituræ literis primo Carolo VIII, ac demum Ludovico XII. præscripserat, ad octies mille auri uncias ascendisset, nunc Julius Regi Catholico diploma concessit, contentus, quod singulis annis bis mille auri uncias cum equo candido persolveret. His addit Mariana, Julium pro vectigali militari petiisse trecentos lancearios a Regibus Neapolitanis alendos, qui ad obsequium Sacræ Sedis suppetarentur, quoties ad bellum in statu Eccle-

*Marian. lib.*

**24. n. 102.**

*Raynald. l.c.*

**n. 28.**



Ecclesiastico gerendum necessarii essent. Sæcul. XV. A.C. 1510.  
 Hanc conditionem Papa nunquam remittere voluit; horum enim auxilio adversus Ferrariæ Ducem uti decreverat.

§. CXIII.

*Ludovicus Papam ad revocandum diploma compellere molitus.*

Ludovicus Rex, comperta Pontificis Guic. lib. 9. f. 249. § 262. indulgentia erga Ferdinandum, graviter commotus erat, ac jura in Neapolis regnum sibi erepta, & in alium transfusa ægerrime ferebat, hinc Regem Catholicum arguebat, quod Gallos suis artibus decepisset, Papam vero incusabat, quod suæ indignationi atque odio cessisset, additis etiam minis, quod, ni protinus concessam revocaret gratiam, armis injuriam ulcisci vellet. Eodem tempore Rivensium Episcopo, qui in Hispania Legatione functus tum apud Regem Catholicum Montione agebat, negotium dedit, ut de injuria vehementer quereretur, ac nisi Ferdinandus prioribus pactis staret, amicitiam penitus dissolvi minaretur. Ast Ferdinandus votorum suorum plene compos, nec e regno suo, quod dudum quiete possedisset, propelli veritus, nec minis nec Legati querelis movebatur. Paulo post Pontifex quæsito capitalis inimicitiae,